

DE INDORUM BRASILIAE MATRIMONIIS EX LITTERIS P. EMMANUELIS DA NÓBREGA NOTATA QUAEDAM

SUMMARIUM: Post introductionem, in qua brevissime praesentatur vita P. Emmanuelis da Nóbrega, S.J. (1517-1570), doctrina de infidelium matrimoniis et nova rerum condicio in Brasilia saec. XVI inventa exponitur, examini subiciuntur litterae fundatoris et primis Superioris Iesuitarum in Novo Mundo quoad problemata de matrimoniis Indorum brasiliensium: status rei matrimonialis inventus, iudicium quod ei meretur, solutiones propositae atque actio pastoralis primi Provincialis Societatis Iesu in Brasilia et suorum sociorum exercita*.

I. INTRODUCTIO

P. Emmanuel da Nóbrega, S.J.

1. De vita

EMMANUEL DA NÓBREGA, lusitanus, natus est die 18 Octobris 1517¹ quo anno navigatores lusitani Sinas

* Fontes huius articuli maxime inveniuntur in operibus SERAFIM LEITE, S.I. Consulimus, etiam cum non expresse citantur, opera sequentia eiusdem Auctoris: «*História da Companhia de Jesus no Brasil*, 10 vol. (Lisboa-Rio de Janeiro 1938-1950); «*Breve itinerário para uma biografia do P. Manuel da Nóbrega* (Lisboa-Rio de Janeiro 1955); «*Cartas do Brasil e mais escritos do P. Manuel da Nóbrega*» (Coimbra 1955); maxime vero «*Monumenta Brasiliae*», 4 vol. (Roma 1956-1960). Hoc ultimum opus sequenti modo citatur: MB, cum indicatione voluminis et pagellae, atque numeris epistolae (C) et § citatis.

¹ Mortuus est die 18.10.1570, in civitate Rio de Janeiro (Brasil) quo die 53 aetatis annos compleverat.

appullerunt. Ex regeſtis Uniuerſitatis Conimbricenſis conſtat illum fuiſſe filium Senatoris BALTASAR DA NÓBREGA², et ex *Chronicon* POLANCO Magni Cancellarii Regni ex fratre nepotem³.

Anno 1534⁴, ſtudia canonica incepit in Uniuerſitate Salmanticensi⁵, ubi MARTINUS DE AZPILCUETA, Doctor Navarrus nuncupatus, primariam canonum cathedram tunc occupabat. A die 7 Novembris 1538 ſtudia canonica proſecutus eſt in Uniuerſitate Conimbricenſi (Coimbra, Portugal), ubi die 14 Iunii 1541 baccalaureus in Iure Canonico eſt renunciatus. Doctor Navarrus⁶ etiam ex Salmantica in Conimbricenſem Academiam translatus, ei ſuaſit ut ad cathedram aliquam Facultatis Iuris Canonici concurreret; quod

² BARBOSA MACHADO, DIOGO, «*Bibliotheca Lusitana*», III (Coimbra 1966, quae 1ae. ed. 1752 reprod.) 322, mendose eum Belchior de Nóbrega vocat.

³ His verbis ingreſſus P. NÓBREGA in Societatem Ieſu refertur: «*Eodem etiam anno admiſſus fuit Emmanuel da Nóbrega, ſacerdos etiam, et Cancellarii Regni ex fratre nepos, virtute et Iuris Canonici peritia valde commendatus*». POLANCO, «*Chronicon*», I, 158, cf. JOANNES ALPHONSUS DE POLANCO, «*Vita Ignatii Loiolae et rerum Societatis Jeſu Historia*», 6 vol. (Madrid 1891-1898).

⁴ FRANCO, ANTÓNIO, «*Imagem da Virtude em o noviciado da Companhia de Jeſus no Real Colegio de Coimbra*», II (Coimbra 1719), cap. I §§ 1-2.

⁵ Nomen EMMANUELIS DA NÓBREGA non invenitur in regeſtis Uniuerſitatis Salmanticensis, cum antiquior liber pro inſcriptione alumnorum anni 1541 ſit, cum ille iam hanc Academiam reliquerat. Inter annos 1526-1546 quidam ſunt «*Libros de Curso*», in quibus notabantur nomina eorum qui ibi gradus academicos recipiebant; ſed NÓBREGA nullum gradum Salmanticae conſecutus eſt. Hoc aſſertum a SERAFIM LEITE factum nobis amabiliter a Prof. ANTONIO GARCÍA Y GARCÍA confirmatum eſt.

⁶ MARTINUS DE AZPILCUETA in Prologo ſui libri «*Relectio cap. Iſa quorundam de Iudaeis*» (Coimbra 1550) hoc modo de NÓBREGA loquitur: «*perdoctus Emmanuel a Nóbrega, pridem a nobis laurea donatus, religione, doctrina et genere clarus*».

NÓBREGA fecit, infelici tamen successu⁷. Interea studia theologica ad presbyteratum necessaria peregit⁸.

Die 13 Iunii 1542 Conimbrigam advenit P. SIMON RODRIGUES, unus ex primis Sancti IGNATII DE LOYOLA sociis in fundanda Societate Iesu, ut celeberrimo Conimbricensi Collegio initium daret⁹; ibi NÓBREGA, cum 27 aetatis annum ageret et iam sacerdos, die 21 Novembris 1544 Societati nomen dedit¹⁰.

Post novitiatum missiones populares per provinciam Beira praedicavit, et primus in Societate Iesu «procurator pauperum»¹¹ creatus est. Suam in Iure Canonico peritiam exercuit, quando Sancta Sedes et Rex Lusitaniae Collegio Conimbricensi monasterium Sancti Fidelis (Sanfins) incorporarunt. Examini subicere debuit totum processum iuridicum annexationis, valde implexum, cum ibi vitam degerent aliqui senes monaci benedictini, qui ex redditibus monasterii vivebant, et praeterea non pauca essent pia legata et quaedam ecclesiae monasterio adnexae, etc.¹².

⁷ NÓBREGA concurrere nollebat quia balbus aliquantum erat (*o impedimento de língua*, ut Beatus Anchieta dicit — vd. FRANCO, «*Imagem...*» (nt. 4), cap. 9 § 2). Chronistae narrant Rectorem Universitatis cathedram conferre alteri candidato voluisse, quod de facto accidit; ignoratur num iniuste id factum fuerit.

⁸ Non constat quando NÓBREGA sacerdotio auctus sit.

⁹ RODRIGUES, FRANCISCO, «*História da Companhia de Jesus na Assistência em Portugal*» I/1 (Porto 1931) 305.

¹⁰ Vd. nt. 3. Cf. LEITE, «*História*» (supra nt. *) IX 414.

¹¹ Munus ei erat defendendi contra possibiles iniustitias pauperes, orphanos, infirmos, carceratos et alios qui patronum constituere non valebant. In Brasilia, ut ex testamento Gubernatoris MEM DE SÁ constat, hoc munere Provincialis S.I. fungebatur, et *pauperum et victorum procurator* vocabatur. Cf. LEITE, «*História*» (supra nt. *) V 250-251.

¹² De his rebus agit Doc. 3, in LEITE, «*Cartas do Brasil*» (supra nt. *) 9-16.

NÓBREGA a Provinciali lusitano¹³ SIMONE RODRIGUES electus est ad fundandam missionem Brasiliae, et a Rege IOANNE III in classe missus est, quae sub ductu THOMAS DE SOUSA, die 1 Februarii 1549 Olysi-ponem reliquit, et ad portum Bahía de Todos os Santos, tunc civitatem primariam Brasiliae, die 28 Martii appullit. Inter plus quam mille homines quibus classis constabat, primi missionarii iesuitae in tota America inveniebantur: 4 sacerdotes et 2 fratres, postea sacerdotes ordinati, sub ductu P. EMMANUELIS DA NÓBREGA.

2. *De litteris*

Fundator missionis Brasiliae et primus eius Provincialis¹⁴, NÓBREGA cum pluribus personis in Europa commercium epistolare habuit. Secundum litteras eius quae ad nos pervenerunt, earum auctoris vita in Brasilia in duas periodos dividere possumus: decem priores anni (1549-1559) coincidunt cum exercitio muneris Superioris Maioris totius Brasiliae, quo tempore opus evangelizandi praevalet; in postremis annis decem (1560-1570) non solum ut apostolus sed etiam ut vir politicus eminet.

In prima periodo ut obiectum praecipuum laborum suorum et curae apparet conversio gentilium. In his annis plurimas scribit litteras in quibus narrat

¹³ Provincia Lusitana prima fuit quam Societas Iesu habuit. P. SIMON RODRIGUES, cum S. IGNATIO alumnus Parisiensis Collegii S. Barbarae et unus e primis patribus S.I., primus Provincialis Provinciae Lusitanae fuit. In mente habuit ad Brasiliam transire ut ibi missionem S.I. fundaret, quod ei permissum non fuit.

¹⁴ «Parens Provinciae Brasiliae», ut in eius sepulcro legitur. Provincialis a S. IGNATIO nominatus est, ipsis in litteris patentibus quibus Provincia Brasiliae creabatur (9.7.1553) - MB I 507.

novitatem priorum relationum cum Indis, et connatus bene cognoscendi Indorum mores atque etiam modum vivendi illarum gentium describit. Mores Indorum et quid possit favere vel nocere conversioni exponit: idola non habent¹⁵, sed tantum formam quamdam cultus valde simplicem; aliqua ritualia obiecta possident et habent quosdam magos; maxime verentur tonitrua, quae actionem Dei Coeli indicant¹⁶; eorum conceptus divinitatis valde deficiens est, cum interrogent num Deus caput habeat et feminam, num et quid edat, quas vestes se induat...¹⁷; illos esse semi-nomadas notat, quod catechesi nocet; agnoscit Indos vere homines esse, capaces ut christiani et cives fiant, pariter atque europaei¹⁸. NÓBREGA non sese Indorum moribus quamvis miris opponit, nisi aperte iuri naturae et religioni christianae essent contrarii, ut polygamia vel anthropophagia. In ceteris rebus conabatur tantum ut ad aliquam moderationem pervenirent; curabat ut legere et scribere addiscerent; maxime musicam et cantum fovebat, quod Indi multum amabant et ad quod valde apti videbantur;

¹⁵ NÓBREGA et alii priores missionarii iesuitae in Brasilia semper constanterque affirmarunt non constituere idolatriam quaedam praxes religiosae quas inter Indos observabant. LEITE vero affirmat revera inter eos extitisse elementa essentialia religionum primitivarum - MB I 151, nt. 15.

¹⁶ «Tupana» (tonitrua), «Padre tupana» (divinitas coeli) - MB I 150, C 9 § 3.

¹⁷ MB I 153, C 9 § 8. Indi sine dubio notitiam aliquam divinitatis habebant; cum NÓBREGA affirmat «não têm conhecimento de Deus» (MB I 11, C 5 § 6), dicere vult illos non habere doctrinam elaboratam et scriptam circa Deum.

¹⁸ Regi IOANNI III NÓBREGA scribebat (14.9.1551) circa Indos: «estão papel branco para nelles escrever ha vontade» - MB I 292, C 37 § 4.

maxime curabat ne libertas offenderetur eorum qui liberi in selvis vivebant¹⁹.

In secunda periodo NÓBREGA curam de conversione gentium prosecutus est; haec tamen conversio nunc connexa cum actione politica apparet, quae sibi quasi postulata ad omnes labores evangelizationis videbatur: auctoritas fortis et una, leges efficaces quae diversitates tribuum superarent, maxime ut populi secure et stabili modo vivere possint. Hoc sub aspectu, NÓBREGA differt a S. FRANCISCO XAVERIO²⁰,

¹⁹ In Brasilia invenerunt iesuitae condiciones laboris valde diversas ab illis quae in India experiebantur, cum S. FRANCISCUS XAVERIUS illuc advenit. Haec recens experientia fere semper terminum comparationis obligatorium constituebat: in India plurimae civitates erant, dioecesis iam creata, collegium et conventus franciscanorum, etc. et Apostolus Indiarum libere laborare potuit in agro dominico. In Brasilia, e contra, non erant civitates, nulla dioecesis nec conventus religiosorum, sed tantum parva oppida seu pagi per litora oceani dispersa, aliqui sacerdotes saeculares et religiosi exclaustrati. Primus episcopus, PEDRO FERNANDES SARDINHA, tantum anno 1552 advenit, tribus annis postquam iesuitae opus evangelizationis Indorum inceperant. Praelatus hic, lusitanus, reversus ex India erat, ubi Vicarius Generalis fuerat. Goana haec commoratio ei nociva fuit, quia voluit in Brasilia easdem methodos missionarias adoptare quae in India vigeant, quamvis circumstantiae valde diversae essent. Exinde sat graves dissensus cum P. NÓBREGA et aliis iesuitis surrexerunt, ut patet ex pluribus litteris (v.g. nn. 49, 51 et 54, in MB I). Publice reprobabat modus agendi iesuitarum cum Indis, quos incapaces esse putabat qui christiani fieri possent (Cf. LEITE, «*Cartas do Brasil*» 17*-19*). Episcopus hic Bahiensis non diu in Brasilia permansit, nam mense Februario 1556 in Lusitaniā reversus est. Paulo postquam profectus est navis naufragium fecit iuxta litus, et Episcopus et alii navigantes ab Indis anthropophagis esi fuerunt.

²⁰ S. FRANCISCUS XAVERIUS paucis mensibus in Lusitania demoratus est, quo tempore paucissimi iesuitae erant. Ideo P. BALTASAR NUNES, ex India ad sodales Lusitaniae scribens (18.11.1548) et cupiens eis describere Sanctum, affirmat: «Deveis

qui missionarius «discurrens» semper apparet.

Inter litteras P. NÓBREGA in *Monumenta Brasiliae*²¹ editas, maxime ad nostrum intentum conducunt quae in prima periodo de qua supra scriptae sunt. De iis speciatim agemus; utimur etiam quibusdam epistolis aliorum missionariorum iesuitarum, quae etiam quaedam problemata circa Indorum matrimonia referunt.

De matrimonii infidelium doctrina et quaestionibus in saec. XVI brevissima expositio

1. *Synthesis theologico-canonica Medii Aevi*

Ante tres Constitutiones Apostolicas saec. XVI²², quae revera miliaria in responsione ab Ecclesia data novae rerum condicioni in agro missionario constituunt, ius matrimoniale maxime in Decretalibus inveniebatur.

Relate ad matrimonium infidelium qui christiani fieri cupiebant, fundamentum praecipuum erat sic dictum «privilegium paulinum» (I Cor. 7, 12-15) circa possibilitatem dissolutionis vinculi coniugalis prioris et celebrationis novi coniugii, quando prius ratum

de saber que é homem não muito baixo nem muito alto, da estrutura do P. Manuel da Nóbrega». WICKI, *Documenta Indica I* (Roma 1948) 317.

²¹ Quattuor volumina *Monumenta Brasiliae*, vol. sunt 79-81 et 87 collectionis «Monumenta Historica Societatis Iesu». Tria priora vol. edita etiam in Brasilia sunt, sub titulo «*Cartas dos Primeiros Jesuítas do Brasil*» (S. Paulo 1956).

²² Sunt Constitutiones Apostolicae *Altitudo Divini Consilii* (1.6.1537), Pauli III; *Romani Pontificis* (2.8.1571), S. Pii V; et *Populis ac Nationibus* (25.1.1585), Gregorii XIII.

(i.e. inter duos baptizatos) et consummatum non erat. Investigatio theologico-canonica saec. XII circa causas dissolutionis vinculi, maxime inde a Decretistis, ad synthesim doctrinalem et disciplinarem conduxit quae inveniebatur in duabus Decretalibus Innocentii III, *Quanto te magis* et *Gaudemus in Domino*, quae in *Libro Extra*²³ insertae sunt et, hoc sub respectu, ius vicens in saec. XVI continebant.

Secundum INNOCENTIIUM III, in cap. *Quanto*, est ipsa realitas vinculi (aut rati aut consummati) quae indissolubilitatem determinat. Matrimonium legitimum (infidelium) est verum matrimonium, sed nullam habet firmitatem quae dissolvi non valeat cum ratio boni superioris adsit²⁴. In eadem Decretali declaratur quomodo verba Pauli «*si infidelis discedit, discedat*» (I Cor. 7,15) intelligi debeant²⁵. Discessio ex parte infidelis, qui in infidelitate permanet, et celebratio novi matrimonii vetus dissolvunt — non autem baptismus illius qui convertitur, ut in cap. *Gaudemus* legitur: «*quum per sacramentum baptismi non solvantur coniugia sed crimina dimittantur*»²⁶.

2. Nova rerum condicio

Sub initio saec. XV, ope navigatorum lusitanorum novae fores Europae, seu Terrae Notae, aperiuntur, simulque novus impulsus datur ad opus evangeli-

²³ X. 4,19,7 et X. 4,18,8 respective.

²⁴ NAVARRETE, URBANO, «*Privilegio de la fe: constituciones pastorales del siglo XVI. Evolución posterior de la práctica de la Iglesia en la disolución del matrimonio de infieles*», in *El vínculo matrimonial* (Madrid 1978) 250.

²⁵ Vd. infra nt. 48: agitur de tribus casibus de quibus ibi mentio fit.

²⁶ X. 4,19,8.

zationis. Sed maxime saec. XVI opus missionarium ampliori et magis organico modo in novis regionibus Africae, Orientis et Americae exercetur.

Non semper facile fuit ut missionarii exigentias doctrinae christianae cum culturis et praxibus compo-nerent valde diversis ab iis quas prae oculis habebant: una ex parte fidelitas ad Ecclesiae doctrinam, atque ex alia necessitas evangelizandi. Inter difficultates praecipuas eminebat praxis matrimonialis indigenarum, quae valde diversa ab institutione familiari christianae erat. Nullum dubium quod missionarii vitam familiarem aliquo modo organizatam ibi inveniebant; sed quae erat institutio illa matrimonialis inter infideles quam prae oculis habebant? Erantne matrimonia illa naturaliter valida? An uniones tantum temporariae? Observabanturne principia iuris naturalis quod ad matrimonium attinet?

Simul cum doctrina evangelica missionarii syntheses reflexionis theologico-canonicae portabant in Medio Aevo elaboratam — non sine controversiis doctrinalibus nec semper pacificis. In mentem habebant synthesim doctrinalem quae in hac historica periodo possibilis erat, non autem (ut auctor quidam leviter affirmat) «*multitudo scrupulorum et dogmatum... quae in hac materia plures curiosas implicationes introduxerunt*»²⁷.

Hae realitates, usque tunc plane ignotae, novas quaestiones doctrinales suscitabant, tot tantaeque interrogationes erant et dubitationes quae missionarii suis Superioribus atque etiam Sanctae Sedi proponebant. P. URBANUS NAVARRETE ita scribit:

²⁷ MANGADANT, cit. in AZNAR GIL, FEDERICO, «*La introducción del matrimonio cristiano en Indias: aportación canónica (sec. XVI)*» (Salamanca 1985) 8 et nt. 3.

«... at quando, ob expansionem missionariam saec. XVI in populos noviter inventos, quaestio devenit urgentissima sub respectu pastorali, Ecclesia non dubitavit usum amplissimum huius potestatis [in vinculum matrimoniale naturale] facere... quod supponit Ecclesiam conscientiam claram habuisse huius suae potestatis»²⁸.

Ius Decretalium ad matrimonium infidelium applicari tantum poterat, in casu polygamiae, cum certo constaret qualis inter varias feminas legitima uxor esset. Iamvero Indi saepe nesciebant qualis esset prima (non raro cum pluribus simul coniungebantur); vel prima iam discesserat, cum baptismum recipere intendebant; et si cum una ex uxoribus manere vellet, facile accidere posset ut illa legitima non esset. Locus privilegio paulino non erat: ignorabatur enim qualis esset uxor legitima quae interpellari deberetur; praeterea nulla earum conviventiam pacificam recusabat. Cogi ergo teneretur conversus ad omnes uxores dimittendas et coelebs manere?

In hoc contextu Constitutio Apostolica *Altitudo* (a. 1537) apparuit: causa huius concessionis praecise est defectus certitudinis circa eam quae prima uxor fuerit; nam si hoc certo constaret, haec erat retinenda:

«... decernimus ut qui ante conversionem plures iuxta eorum mores habebant uxores, et non recordantur quam primum

²⁸ NAVARRETE, U., «De vinculo matrimonii in theologia et iure canonico», in *Vinculum matrimoniale* (Roma 1973) 110-111. Alio in loco laudatus Auctor noster loquitur de reflexione doctrinali circa matrimonium in saec. XVI, eamque vocans «el mayor esfuerzo teológico de la historia para demostrar que el Papa tiene esta potestad [para disolver el vínculo del matrimonio] y que la puede usar en gran medida según su prudencia pastoral», in *Privilegio...* (supra nt. 24), 257.

*acceperint, conversi ad fidem, unam ex illis accipiant, quam voluerint, ut cum ea matrimonium contrahant per verba de praesenti*²⁹.

II. DE INDORUM BRASILIAE MATRIMONIIS

Prima ex epistolis P. NÓBREGA quae ad rem hanc pertinent, data est Bahiae, die 9 Septembris 1549, ad P. SIMONEM RODRIGUES, Provincialem Lusitaniae. Scripta igitur est nondum quinque mensibus elapsis postquam Brasiliam appulerat, sed auctor refert se antea longe lateque «prima via» ad eundem Provincialem et ad fratres scripsisse³⁰. NÓBREGA statim quaestiones exponit praecipuas quae in his prioribus temporibus evangelizationis Indorum surgebant: dignitatem Indorum defendit, quorum libertas protegenda est (§§ 5-6); dispensationem omnium normarum iuris canonici positivi in re matrimoniali postulat (§ 8); necessitatem habendi Episcopum qui vitam Ecclesiae dirigat (§ 9); convenientiam etiam alicuius collegii ad educationem puerorum (§ 10).

Modus cogitandi Indorum

Quid de matrimonio Indi Brasiliae sentirent non potuit admirationem missionariorum non movere: polygamia inter eos communis erat, et sat diversa ab ea quam etiam alii populi admittebant — nulla habe-

²⁹ Textus huius Constitutionis, de matrimonio, in Appendice ad CIC 1917 invenitur. Can. 1125 huius Codicis extendit «*ad alias quoque regiones*» i.e. ad universum orbem quod tres illae Constitutiones saec. XVI «pro peculiaribus locis» concesserant.

³⁰ MB I 119, C 7 § 1.

batur uxor prima seu princeps, quae prae ceteris emineret, neque quae aliquando favoribus viri prae aliis praecipue gauderet. Aliis verbis: Indi brasiliiani polygami intentionem vere nubendi vel affectum maritalem erga quandam feminam habere non videbantur, sed potius quasdam tantum uniones transitorias, ut NÓBREGA expresse in litteris 10-8-1549 ad suum antiquum magistrum et amicum DOCTOREM NAVARRUM clare refert³¹. Idem exponit in litteris mensis Maii 1556 ad S. IGNATIUM datis, cum affirmat inter Indos non dari vera matrimonia cum animo in eo per totam vitam perseverandi, nam feminas assumunt et dimittunt pro lubitu, neque intentionem habent cum eis perpetuo vivendi³².

³¹ «Su costumbre hasta agora fué no estimar el adulterio, y tomar una y dexar otra ad beneplacitum... nunca las tomavan para las tener siempre, lo qual no tienen los otros infieles de Africa e otras partes, que las toman para siempre, y a lo menos es contrato, lo que en estos no ay, porque es más tenerlas por mancebas que por mugeres» — MB I 141, C 8 § 6. Antea in eadem epistola scripserat: «Tienen muchas mugeres en quanto se contentan dellas y ellas dellos» — Ibid. § 3, p. 136.

³² «Ho gentio desta terra, como não tem matrimónio verdadeiro com animo de perseverarem toda a vida, mas tomão huma mulher e afastão-se quando querem... não se casão para sempre viverem juntos como outros infieis...» — MB II 277, C 44 § 4. Eandem ideam exprimit P. LUDOVICUS DA GRÃ, qui in munere Provincialis Brasiliae P. NÓBREGA sucessit, in litteris ad S. IGNATIUM (8.6.1556): «Como en estos indios la mayor honra y riqueza es tener muchos hijos, así lo es tener muchas mugeres, pero a la verdad ninguna es muger verdadera, sino concubina porque las dexan cada vez que se les antoja» — MB II 292, C 46 § 7. Similibus verbis utitur P. IOANNES DE MELO in litteris (13.9.1560) ad P. GUNDIZALVUM VAZ DE MELO: «Há entre estes Indios hum custume, que os mais delles tem duas e tres molheres ou pera melhor dizer mancebas, porque nenhuma delas hé mulher verdadeira» — MB III 281, C 39 § 3.

Uno verbo: NÓBREGA putat inter Indos Brasiliae vera matrimonia, naturaliter valida non dari; quae opinio ceteris prioribus sociis in evangelizatione communis erat.

Alia ex parte exsurgebat magnum problema de impedimentis matrimonialibus, maxime consanguinitatis, affinitatis et publicae honestatis (v.g. ex copula), quorum ambitus longe maior quam nostris temporibus tunc erat. Ex polygamia seu promiscuitate sexuali in qua communiter Indos vivebant, plurimae oriebantur relationes consanguinitatis et affinitatis quibus omnes fere afficiebantur. In citatis iam litteris Maii 1556 ad S. IGNATIUM, NÓBREGA fuse de hac re scribit, et censet hanc praecipuam esse difficultatem quam missionarii inveniabant quominus baptismus Indis ministrari posset³³.

Cum polygamia connexa erat Indorum idea de

³³ «... tomam uma mulher e apartam-se quando querem, de maravilha se achará em uma povoação e nas que estão ao derredor perto, quem se possa casar dos que se convertem legitimamente à nossa fé, sem que haja impedimento de consanguinidade, ou afinidade ou de publica honestidade. E este nos é o maior estorvo que temos, nem os poder por em estado de graça, e por isso não lhe ousamos a dar o sacramento do baptismo, pois é forçado ficarem ainda servos do pecado» — C 44 § 4 (cit. supra, nt. 31). Pari modo scribebat P. LUDOVICUS DA GRÃ ad S. IGNATIUM: «Es tanto el parentesco entre ellos, que uno que sea ia christiano no halla en dos y tres aldeas vizinas con quien pueda casar; y porque el peccado de la carne es tan devasso en la tierra, no osamos a baptizar aquellos que tienen edad si no ovieren luego de casar» — C 46 § 7 (cit. supra, nt. 32) Beatus vero JOSEPHUS DE ANCHIETA loquitur de «matrimónios contraídos com os mesmos consangüneos até primos direitos, de maneira que, se queremos receber algum para o baptismo, por causa do laço de sangue é difficilimo encontrar-lhe mulher com a qual possa casar ... pois não podemos admitir ninguém à recepção do baptismo conservando a concubina» — MB II 114, C 22 § 24.

linea «legitima» consanguinitatis familiaris necnon de «vero» matrimonio: valde commune et normale matrimonium inter virum et suae sororis filiam censebatur, nunquam vero inter virum et fratris filiam dabatur — ut expresse NÓBREGA notat, cum dispensationem normarum iuris positivi postulat — nam eam quasi filiam propriam considerant³⁴.

Haec mens et praxis fundamentum capiebat in idea quam circa conceptionem et maternitatem habebant. Putabant enim mulierem merum «saccum» esse, in quo vir semen vitae deponebat. P. LUDOVICUS DA GRÃ hanc imaginem Indorum clare exponit: censent filium carnem non a matre, quae est mere saccus, sed a patre tantum accipere³⁵. Filia enim fratris, ut ita dicamus, caro ex eadem carne est et quasi filia propria; filia sororis, e contra, non est quasi filia propria: soror enim eam tantum in «sacco» suo servavit, dum vir carnem et vitam ei dedit.

Ex hac praxi valde communi inter Indos polygamos, sororis filiam ut uxorem assumendi, graves oriebantur difficultates pro iis qui christiani fieri volebant: impedimentorum consanguinitatis et affini-

³⁴ «Ao menos seja de toda a afinidade, e seja tio com sobrinha, que é segundo grau de consanguinidade, e é cá o seu verdadeiro casamento. A sobrinha digo da parte da irmã, porque a filha do irmão é entre eles como filha e não se casam com as tais» — C 44 § 4 (cit. supra, nt. 32) P. LUDOVICUS DA GRÃ etiam de hoc singulari more loquitur: «la más legítima muger entre ellos es la hija de la hermana, y no así la del hermano, que es como hija» — C 46 § 7, (cit. supra nt. 32).

³⁵ «Tienen para si que el niño no recibe carne de la madre, que es como un sacco, sino del padre» — *Ibid.* NÓBREGA iam antea ad Doctorem Navarrum scripserat: «y dizen qu'el padre solamente tiene parte en él [in filio] y la madre no tiene nada» — MB I 136, C 8 § 3.

tatis multiplicatio, matrimoniorum invaliditas, etc. Qualis fuit a missionariis Brasiliae solutio inventa?

Modus agendi missionariorum iesuitarum

1. *Petitio dispensationis iuris positivi ecclesiastici*

Praxis matrimonialis inter Indos Brasiliae, ut vidimus, valde a doctrina christiana et a iure canonico dissonabat, et Patri NÓBREGA cito figura dispensationis occurrit: legislator supremus dispensationem dare deberet ab omnibus normis iuris mere ecclesiastici et ab impedimentis in eis fundatis ut, in spiritu pastorali, satisfieri possit difficultatibus — alioquin insuperabilibus — quae illis in regionibus occurrebant.

Enimvero, cum matrimonia Indorum secundum P. NÓBREGA et eius socios, invalida iure naturae censenda essent, impossibile videbatur quaestiones solvere obortas secundum ius matrimoniale tunc in Europa vicens, etiam ad regulam recurrendo in Constitutione *Altitudo* (1537) contenta.

Sex mensibus nondum elapsis postquam Brasiliam advenerat, iam NÓBREGA ad Provincialem Lusitaniae scribebat (9.8.1549):

«valde *opporteret ut a Papa obtineatur... ne leges positivae has gentes obligent, usque dum, labente tempore, doctrinam a nobis addiscant*»³⁶.

Proposita igitur inprimis solutio recursus erat ad exemptionem (*ne leges positivae obligent*), non autem

³⁶ «Será cousa muito conveniente aver do Papa... que as leis positivas não obriguem ainda este gentio, até que vão aprendendo de nós por tempo» — MB I 123-124, C 7 § 8.

proprie ad dispensationem; sed in litteris subsequentibus de dispensatione semper sermo est, etiam si aliquando aliis verbis, v.g. «indulto generali», utatur.

In suis litteris multoties NÓBREGA in hac re insistit. Imo, in litteris diei 31 Augusti 1553 ad P. LUDOVICUM GONÇALVES DA CÂMARA datis³⁷, proponit ut hae leges mere disciplinares etiam christianis europaeis ob easdem rationes non applicentur³⁸.

In opere *Monumenta Brasiliae* mentio invenitur de quadam dispensatione a Sancta Sede data, quae his petitionibus posterior est: per periodum 10 annorum facultas dabatur matrimonium contrahendi personis quae impedimento tertij vel quarti gradus consanguinitatis et affinitatis detinerentur. Haec facultas per litteras P. POLANCO Provinciali Lusitaniae communicata est, ut ipse eam «ad Indias Goae et Brasiliae» transmitteret³⁹. Facultas tamen haec non directe peti-

³⁷ Probabile est quasdam litteras de hac re disparuisse, hoc durante intervallo quattuor annorum scriptas, cum NÓBREGA dicat: «Ya tengo scríto...».

³⁸ «Ya tengo scríto que nos ayan del Papa poder para dispensar nosotros en todos estos casos con los hombres que en estas partes de infieles andan, porque unos duermen con dos hermanas y desean después que tienen hijos de una casar con ella y no pueden, otros tienen otros impedimientos de afinidad y consanguinidad y para todo, y por remedio de muchos, se devría esto luego de impetrar, para sosiego e quietación de muchas consciencias. Y lo que tenemos para los gentiles se devría tambien tener y aver para los chrystianos destas partes, y a lo menos hasta que del Papa se haya general indulto» — MB I 525, C 75 § 6. Ut e collatione cum litteris Beati ANCHIETA anno sequenti datis deducitur, hoc modo filii vivebant IOANNIS RAMALHO «unidos com duas irmãs e duas filhas do mesmo pai» (MB II 116, C 22 § 25). Ut patet, agitur de duabus sororibus consanguineis, inter se sororibus, non autem soror viri cum quo dormiebant.

³⁹ MB II 27, C 8 § 2. Expressio *Indias do Brasil* modum dicendi hispanico sapit, et cito in desuetudinem venit. — S.

tionibus e Brasilia factis respondebat, quia in litteris ad S. IGNATIUM (17.9.1554) idem Provincialis postulabat ut P. POLANCO a Sancta Sede obtineret indultum illud generale a P. NÓBREGA petittum, quod maxime necessarium censebatur⁴⁰.

NÓBREGA tamen, v.g. in litteris 23.3.1555⁴¹ et Mai 1556⁴², in petendis his facultatibus perseverabat, quae sibi actus pastoralis urgens et omnino necessarius videbantur: rogabat ut saltem facultas concederetur dispensandi ab omnibus gradibus affinitatis et in matrimonio viri cum sobrina, quod in hac regione verissimum matrimonium censetur⁴³. Idem Pater talem dispensationem absolute necessariam esse credebatur, ut munus evangelizandi, quod sibi et eius sociis collatum fuerat, exercere possit. «*In his rebus*», aiebat, «*valde coarctati sumus et enixe cupimus clare videre et amplas facultates habere*», sive quod ad

IGNATIUS Provinciali Lusitaniae concessionem papalem ipse communicavit, litteris 26.7. sequentis — MB II 75, C 19 § 3.

⁴⁰ «Las dispensaciones o indulto general que pide el P. NÓBREGA en su carta [de 31.8.1553] acerca de consanguinidades y afinidades que en aquella tierra ay que impiden el matrimonio, V.P. las encomiende al P. Polanco que se ayan o se despachen si están avidas, porque, como V.P. verá en la carta, dize que tienen allá mucha necesidad dellas» — MB II 126, C 24 § 5.

⁴¹ «En estas partes podremos obrar poco en la vinha del Señor, si Su Santidad no alarga la mano a concedernos las dispensaciones de todo el derecho positivo, mayormente para todos los que se convierten a la fe de Christo y para los mestizos, hijos de los christianos, porque de otra manera no se podrá dar remedio a muchas almas» — MB II 171, C 31 § 12.

⁴² «Será necessario haver de Sua Santidade nisso largueza destes direitos positivos» — C 44 § 4 (cit. supra, nt. 31).

⁴³ *Ibid.* Beatus ANCHIETA etiam S. IGNATIO scripserat (1.9.1554): «parece-nos sumamente necessário... que possam contrair-se matrimónios em todos os graus, excepto irmãos com irmãs» — C 22 § 24 (cit. supra, nt. 38).

gentiles et mixtos (filios virorum lusitanorum et mulierum indarum) attinet, sive etiam ad christianos europaeos⁴⁴.

Ex documentis quibus usi sumus non constat quando tales dispensationes datae sint; at de iis mentio fit in duabus epistulis P. NÓBREGA ad P. IACOBUM LAYNEZ, in quibus affirmat illas iam receptas esse et in usum venisse: prima diei 30.7.1559⁴⁵ et alia 12.6.1561, in qua tamen dubitat num hae dispensationes etiam mixtis applicari possent⁴⁶.

Plus quam 11 annis elapsis post ultimam Patris NÓBREGA petitionem, breve *Cum gratiarum omnium* (25.12.1567) promulgatum est, in quo S. Pius V expresse Patribus Societatis Iesu concedebat quod toties et tam pertinaciter primus missionarius Brasiliae petierat:

«Nos, huiusmodi neophytis aliquid de rigore canonum remitti aequum esse censentes... in quocumque, non tamen a iure divino prohibito, consanguinitatis et affinitatis gradu, ut matrimonia inter se contrahere... libere et licite possint...»⁴⁷.

⁴⁴ C 44 § 4 (cit. supra, nt. 31). Ultima petitio e Brasilia a P. LUDOVICO DA GRÃ in litteris ad S. IGNATIUM (8.6.1556) facta est: «Y por esso bien vee V.P. quãta necessidad hahi del Padre Sancto dispensar con estos Indios en todo lo que toca al derecho positivo» — C 46 § 7 (cit. supra, nt. 32).

⁴⁵ «Las gracias ympetradas an venido a muy buen tyempo y con ellas avemos hecho mucha obra entre los nuevos convertidos, y dado remedio a muchas almas» — MB III 117, C 16 § 7.

⁴⁶ MB III 366, C 52 § 22. P. LAYNEZ Trento (16.12.1562) P. NÓBREGA respondit sibi mixtos in concessionem inclusos videri; nihilominus iam Romam se scripsisse ut ad eos talis facultas expresse extenderetur — MB III 515, C 68 § 10.

⁴⁷ MB IV 431-432.

2. *Alii aspectus pastoralis matrimonialis*

a) Ut bonus canonista, NÓBREGA optime ius matrimoniale tunc vigens cognoscebat, quod maxime in Decretalibus continebatur. Scribens ad DOCTOREM NAVARRUM (10.8.1549), oppinabatur cap. *Gaudemus* (X.4,19,8) Indis Brasiliae «applicari non debere». En ratio: hi gentiles non perpetuo ducunt uxorem, ideoque observare non tenentur cap. «De Divortiis», quod praecipit ut primam uxorem ducant⁴⁸. Ut supra

⁴⁸ «... y por esto [porque los indios no toman muger para la tener siempre] me parece que no tiene en estos gentiles lugar el capitulo *Gaudemus*, “De Divortiis” con lo que allí se nota, scilicet, que ayan de tomar por muger la primera que avían tenido» — C 8 § 6 (cit. supra, nt. 31). NÓBREGA qui DOCTOREM NAVARRUM magistrum habuerat, bene casuisticam cognoscebat. Quod AZPILCUETA in Facultate Iuris Canonici exponebat, sine dubio est quod in prima editione “*Manual de Confessores e penitentes*” (Coimbra 1549) 347-348, ubi scribit: «Se ãbos sam infies, e hũ delles se cõverteo aa fee: pode deyxar o outro, posto que nam faria mal ficar com elle, em quanto tem esperança que se conuertera. Mas se o vee obstinado, nam deue morar com elle. E nam se pode casar em quãto viue o infiel, saluo em tres casos. O primeyro, quãdo ho infiel, nam quer morar com ho fiel. O 2. Se quer morar, mas nam sem injuria do criador ou sem pecado mortal. O 3. Se trabalha polo trazer a infidelidade. Mas se ho infiel se conuerte antes que o outro se case: obrigado he tornar a elle».

Notandum est librum tam late diffusum «*Manuale Confessariorum*» originaliter a DOCTORE NAVARRO conscriptum non fuisse, ut ipse expresse fatetur in prologo citatae primae editionis, qui prologus ipse lingua hispana scripsit etiamsi librum lusitano sermone editum sit, factum sat commune in Lusitania medio saec. XVI: «Por tres respectos principalmente christiano lector, dire sin saberlo el author desta obra lo que me parece della. El primero porque el gran infante Cardenal don Henrique... me mando que lo viesse, para dezir si era bien, que se imprimiesse. El otro porque a quien la costa de la impression ha hecho se lo ofreci, quando le pedi por merced que por el bien publico la hiziesse. El

dictum est, communis opinio primorum Brasiliae missionariorum erat inter Indos matrimonia naturaliter valida non dari.

b) Haec quaestio de validitate matrimonii Indorum certo tunc temporis agitata est. Certo certius opiniones diversae erant, sed ex documentis in *Monumenta Brasiliae* insertis nulla mentio de hac controversia invenitur. Tum NÓBREGA et eius socii tum unicus Episcopus Brasiliae uno ore illa matrimonia invalida iure naturae censebant; quae opinio diffusa etiam aliquibus in regionibus Americae hispanae erat⁴⁹.

c) Dum facultates pontificiae ad impedimenta

postrero por temer que como *el autor por su humildad no quiere nombrarse*: se ternia por apocrifa baxa y una de por ay, con que su gran fructo se impidiesse». Ceterum titulus completus 1.ae editionis sat explicitus est: «*Manual de confesores, e penitêtes, em ho qual breue e particular, e muy uerdadeiramente se decidem, e declarã quasi todas as duuidas, e casos, que nas confissões soẽ occorrer acerca dos peccados, absoluições, restituuyções: Composto por hũ religioso da ordem de sam Francisco da prouincia da piedade. // Foy vista, e examinada, e aprovada a presête obra por o Doutor Navarro, cathedratico de prima e canones na Uniuersidade de Coimbra. // Por comissam do Infante Cardeal inquisidor mayor nestes Reynos // Coimbra 1549.* Igitur notissimum *Manuale Confessariorum*, in primaria sua versione, tribuendum est alicui franciscano Provinciae Pietatis (quae domibus ad meridiem fluminis Tagi sitis constabat); BARBOSA MACHADO, «*Bibliotheca Lusitana*» (nt. 2) 654 opus tribuit FREI RODRIGO DO PORTO. Nullum tamen dubium quod DOCTOR NAVARRUS id recognoverit et auxerit, ita ut «*Manuale*» semper suo nomine editum sit.

⁴⁹ «O Sr. Bispo foy tambem neste parecer, que os casamentos destes gentios não erão verdadeiros casamentos nem ainda in lege naturae, e por o P. ANTONIO RODRIGUES dizer que asy se tinha determinado nas Antilhas ou Peru» — MB III 294, C 40 § 10. SERAFIM LEITE notat P. ANTONIUM RODRIGUES in Rio da Prata et in Paraguay vixisse, ubi forte hanc informationem habuit, quae non est sat determinata quoad locum atinet. *Ibid.*

dispensanda obtentae nondum erant, P. NÓBREGA cum eius sociis ingeniosam quandam solutionem ad difficultates solvendas invenit: cum Indi bene iam parati erant ad baptismum recipiendum, conabantur missionarii ut matrimonium naturaliter validum, debitis cum cautelis, inirent⁵⁰, in quo, ut patet, legibus canonicis de impedimentis non tenebantur; postea, iam matrimonio legitimo sic iunctos, ad baptismum admittebant. NÓBREGA iterum iterumque affirmat problemata matrimonialia obstaculum praecipuum esse ne Indi christiani fiant; ideoque in litteris ad S. IGNATIUM mensis Maii 1556 scribit: primo Indi ad matrimonium "in lege naturae" admittebantur et postea sacramentum baptismi recipiebant⁵¹; et P. LUDOVICUS DA GRÃ hanc praxim matrimonialem a missionariis adoptatam fusius describet⁵².

d) Quamvis missionarii non sine fundamento timerent ne Indi postea ad polygiam reverterentur.

⁵⁰ *Ibid.*, «E asi os casamos todos cada hum com sua molher, com todas as condições requisitas para serem matrimonios in lege naturae, perante testemunhas, e feito disso assento em hum livro. E com isto os que estavam com duas ou tres deixavão as sobejas e tomavão huma somente». — Non tamen dicit quam mulierem inter varias accipiebant, neque quae considerabantur «superfluae» (*as sobejas*).

⁵¹ C 44 § 4 (cit., supra, nt. 32).

⁵² «... por aquã no usan casamiento como tengo dicho. Hun remedio usamos con algunos que vemos hábiles para el baptismo y, cathecuminados sufficientemente, que les ensinamos cómo casen antes de ser baptizados según la lei de naturaleza, para que quando los baptizarmos, hallandolos ya casados según lei de naturaleza, puedan perseverar en el casamiento que es prohibido por solo el derecho positivo» — C 46 § 7 (cit., supra, nt. 32). Bahia, anno 1560, qui in concubinato vivebant uxorem ducebant in lege naturae (MB III 281, C 39 § 3); in anno 1565 tamen, quamvis etiam talia consortia celebrarentur, plura erant iam matrimonia-sacramenta (MB IV 187, C 16 § 2).

in primis temporibus sat facile eos ad matrimonium admittebant⁵³; deinde adhortationibus et aliis mediis nitebantur illos a polygamia et ab anthropophagia (de qua hic non agimus) avertere⁵⁴. Eo vel magis quod sub aspectu mere religioso aliae difficultates vix aderant: non enim idola neque cultum publicum habebant; alia ex parte, christiani fieri multum Indi cupiebant, ut NÓBREGA refert, sed eos a moribus avitis avertere maxime difficile erat⁵⁵.

Aliae tamen difficultates pro Indorum matrimoniis exsurgebant: cum ii non raro in servitute viverent, timebant domini ne hi servi, si christiani fierent et matrimonium celebrarent, libertatem acquirerent. Quod timor et quando domini cum ancillis matrimonium celebrabant⁵⁶ et quando matrimonium inter servos erat dabatur⁵⁷.

⁵³ «Hazense muchos casamientos entre los gentiles» (MB I 268, C 33 § 1 NÓBREGA, 11.8.1551); «Nestas partes há muitos escravos e todos vivem em peccado com outras escravas. Alguns dos tais fazemos casar» (MB I 293, C 37 § 7, NÓBREGA, 14.9.1551); «Trabajamos por poner un custumbre en esta tierra de casar los esclavos con las esclavas» (MB I 259, C 31 § 9, P. ANTONIUS PIRES, 2.8.1551).

⁵⁴ «Todo nuestro trabajo consiste en los apartar desto [matar sus contrarios y comer carne humana y tener muchas mugeres]. Porque todo lo demás es fácil, pues no tienen idolos» — sicut P. SIMONI RODRIGUES P. NÓBREGA scribebat, C 33 § 1 (cit. supra, nt. 53). Et P. LUDOVICUS DA GRÃ S. IGNATIO referebat: «No hai en esta tierra idolatria» — C 46 § 6 (cit. supra, nt. 32).

⁵⁵ C. 33 § 1 (cit., supra, nt. 53).

⁵⁶ «Os que estão amancebados com suas mesmas escravas, fazemos que casem com ellas e, por ser costume novo a seus senhores, am medo que casando lhes fiquem forras, e não lho podemos tirar da cabeça... Devia El-Rey de mandar desenganar aos senhores, que nom fiquão forros, porque isto arreção; que doutra maneira todos os casarião» — MB I 287, C 36 § 5, NÓBREGA, 13.9.1551.

⁵⁷ «Nestas partes há muitos escravos e todos vivem em

Decursu temporis, missionarii experientia ducti in pastorali matrimoniali cautiore devenerunt: fere ad baptismum adultos non admittebant, nisi in periculo mortis constitutos; quasi pro regula habebant ad baptismum non admittere nisi iuvenes ab infantia in fide christiana educatos, qui fundatam spem perseverandi in christianis moribus praebebant⁵⁸. Aliis verbis: missionarii magis de formatione iuventutis curabant et optimos fructus ex hac praxi capere incipiebant, cum novas generationes, solícite excultae, spe perseverandi in vita christiana praebebant quin ad paganos mores reverterentur.

peccado com outras escravas. Alguns dos tais fazemos cassar, outros areceam fiquarem seus escravos forros e não ousão ha casá-los. Seria serviço de Noso Senhor mandar V.A. huma provissão em que declare nam fiquarem forros» — ita NÓBREGA ad Regem (14.9.1551) scribebat, C 37 § 7 (cit., supra, nt. 53) P. ANTONIUS PIRES (2.8.1551) idem dicebat: «Hanse casado mucho [los esclavos con las esclavas] y casarse yan muchos más, si acabassen de creer sus señores, que no quedan horros» — C 31 § 9 (cit., supra, nt. 53). Quod ad statum iuridicum servorum qui matrimonium legitimum celebrabant, duos textus Iustiniani recordari debemus, qui in antiquitate doctrinam de hac re statuebant: primus in *Codice* 7,6,1,9 — «*Si quis homini libero suam ancillam in matrimonio collocaverit... ancillam non Latina, sed civis efficiatur Romana*»; alter in *Novella* 22,11 — «*Si enim ancillam suam dominus tamquam liberam nuptum collocarit, ille vero, cum liber esset... eam duxerit... par non sit tale non consistere matrimonium*».

⁵⁸ «Se não há mais christãos casados é porque não baptizamos os grandes senão em artigo de morte; e ainda aver aqui tantos hé por se ajuntarem alguns dos que antigamente fizeram christãos e por aver já bom quinhão casados dos moços da escola e das moças da doutrina» — MB III 290, C 40 § 7. In litteris 10.6.1562 ad Provinciam Lusitanum P. BLASIUS LOURENÇO loquebatur de aliqua domo formationis ad filias Indorum destinata, asserens «destas se casão com os mancebos yá doctrinados e instruidos nos boons costumes» — MB III 466, C 65 § 9.

e) Alia pastoralis sollicitudo missionariorum mobilitatem Indorum respiciebat. Hi enim in casis vivebant ex foliis arborum confectis, quae ad summum tres vel quattuor annos durabant; praeterea cum viverent fere tantum ex fructibus silvestribus quin agros colerent, hi fructus post paucum tempus exhaurebantur, et Indi ad alias cogeantur regiones transmigrare ubi vivere possint. P. LUDOVICUS DA GRÃ in litteris (8.6.1556) ad S. IGNATIUM hoc refert⁵⁹, addendo quod, hoc pacto, fructus evangelizationis amittebantur quia iuvenes christiani per regiones dispersi in vita christiana non perseverabant et ad avitos mores revertebantur.

Relate ad matrimonium haec mobilitas alia prava consecraria prae se ferebat, quae resolutionem quandam auctoritatis civilis (Junta da Bahia) provocavit⁶⁰: non raro Indi ad laborandum in domibus et fundis colonorum cogeantur; hi tales Indos matrimonio cum suis ancillis iungebant; hoc pacto eos ad bigamiam provocabant, cum iam antea in suis pagis uxorati essent. Coloni etiam perfacile admittebant in suis domibus mulieres indas cum quibus in concubinato vivebant et simul curabant ut baptismum reciperent⁶¹. Inde graves difficultates pro missionariis: si tales mulieres post baptismum ad suos pagos remittendas curarent, illae certo in mores gentiles iterum inciderent; si hos concubinatus tolerarent, tum coloni tum indae in peccato perseverabant⁶². P. NÓ-

⁵⁹ C 46 § 6 (cit., supra, nt. 32).

⁶⁰ Die 30.7.1556 approbatae sunt 8 resolutiones (quartam citamus), et «Junta» constituta est a MEM DE SÃ, Gubernatore Generali, PETRO LEITÃO, Episcopo Bahiensi, et BLASIO FRAGOSO, «Ouvidor Geral» — MB IV 356.

⁶¹ Vd. infra, nt. 68.

⁶² MB I 262-263, C 31 § 11.

BREGA dum in Pernambuco vixit, illas indas ad pagos suos mittere non obligavit, sed domos ubi illae honeste vivere possent instituit, stipendio praebito a dominis pro quibus illae laborabant⁶³.

f) NÓBREGA iam in prima sua epistola (9.8.1549) aliud grave pastorale problema proponit: coloni qui ad Brasiliam veniebant, non semper, proh dolor! vitam matrimonialem christianam agebant et non raro ad polygamiam secundum modum gentilium adducebantur⁶⁴. NÓBREGA eorum difficultatem agnoscit practicam, cum fere non essent europeae mulieres cum quibus nubere possent⁶⁵; ideo pluries instat ut in Brasiliam tales mulieres veniant⁶⁶. Praeterea aliis mediis hoc ad problema solvendum utebatur, maxime praedicatione et individualibus admonitionibus. Ipse refert se optimos fructus ex hoc agendi modo retulisse, etiam in casibus difficilioribus, ut cum viro genericis monitionibus renitentiore accidit: eum publice in

⁶³ MB I 286, C 36 § 4 et MB I 292, C 37 § 5.

⁶⁴ «Nesta terra há um grande peccado, que hé terem os homens quasi todos suas negras por mancebas, e outras livres que pedem aos negros por mulheres, segundo ho costume da terra, que hé terem muitas mulheres. E estas deixam-nas quando lhe apraz, o que hé grande scandalo para a nova Igreja que o Senhor quer fundar» — MB I 119, C 7 § 2.

⁶⁵ «Todos se me escusão que nom tem mulheres com quem casem, e conheço eu que casarião se achassem com quem; e tanto que huma molher, ama de hum homem casado que veo nesta armada, pelejavão sobre ella a quem a averia por molher» — *Ibid.*, p. 120.

⁶⁶ «Parece-me cousa muy conveniente mandar S.A. algumas mulheres, que lá tem pouco remedio de casamento, a estas partes, ainda que fossem erradas, porque casaram todas muy bem, com tanto que nom sejam taes que de todo tenham perdido a vergonha a Deus e ao mundo... De maneira que logo as mulheres teriam remedio de vida, e estes homens remediarião suas almas, e facilmente se provaria a terra» — *Ibid.*

ecclesia e suggestu monuit *quia versabatur in peccato valde notorio et scandali pleno*, et ei unam hebdomadam constituit ut vitam emendaret, sub poena ei prohibendi ingressum in ecclesiam⁶⁷.

Non raro coloni rogabant aliquem indum ut sibi unam ex filiabus daret, quam baptizari faciebant, dicentes hoc pacto minus esse peccatum, *non animadvertentes*, ait NÓBREGA, *magnam irreverentiam quam hic agendi modus erga sacramentum baptismi constituebat*⁶⁸.

Nitebantur missionarii ut colonos ab his paganis moribus in quos inciderant averterent⁶⁹, in primis matrimonia inter eos et indas mulieres promovendo⁷⁰, praesertim cum iam per longum tempus maritali modo et forte cum filiis vivebant⁷¹; quamvis hi homines, quando de matrimonio agebatur cum ancillis, timerent ne illae hoc pacto liberae devenirent⁷².

Specialis difficultas aderat quum hi coloni matrimonio iuncti iam erant antequam in Brasiliam venirent, in Lusitania relicti uxoribus. Cum *in gravibus peccatis* viverent, conabantur missionarii ut sive illi in patriam reverterentur sive uxores ad se vocarent⁷³; NÓBREGA, ad regem IOANNEM III scribens, eum rogat

⁶⁷ MB I 120, C 7 § 3.

⁶⁸ *Ibid.* P. ANTONIUS PIRES loquitur de 50 fere mulieribus indis «las quales fueron traydas de las aldeas por los blancos para las tener por mancebas. Ellos las hazían luego christianas, porque el peccado no fuesse tan grande» — C 31 § 11 (cit., supra, nt. 53).

⁶⁹ MB I 269, C 33 § 3.

⁷⁰ C 33 § 1 (cit., supra, nt. 53). Idem referunt litterae P. LEONARDI NUNES (Nov. 1550) — MB I 207, C 18 § 6, atque epistola P. ANTONII PIRES (2.8.1551) — C 31 § 9 (cit., supra, nt. 53).

⁷¹ MB I 285, C 36 § 2.

⁷² C 36 § 5 (cit., supra, nt. 56). Vide supra, nt. 57.

⁷³ C 36 § 4 (cit., supra, nt. 66).

ut auctoritate sua publica ad defendendas uxores et filios utatur⁷⁴.

Peculiari modo idem NÓBREGA de componenda vita familiari curavit alicuius IOANNIS RAMALHO, lusitani, qui in pago S. André da Borda do Campo vivebat, non longe ab actuali megapoli S. Pauli, quam ipse NÓBREGA fundavit. In litteris ad P. LUDOVICUM GONÇALVES DA CÂMARA, mense Augusti 1555 datis⁷⁵, refert illum virum abhinc plus quam quadraginta annis in Brasiliam venisse, in oppido Vouzela (ubi P. SIMON RODRIGUES natus erat) uxore relicta, quam ipse credebat mortuam iam esse; rogat ergo ut diligenter investiget num illa mulier de facto iam mortua sit, eo vel magis quod IOANNES RAMALHO consaguineus esset P. EMMANUELIS DA VEIGA, qui unus ex prioribus missionariis Brasiliae exstabat. Praeterea ille RAMALHO plures filios ex quadam filia alicuius viri principis inter gentiles genuerat, et tum ipse RAMALHO tum eius magna familia in tota hac regione amplissima auctoritate fruebatur. Sperabat ergo NÓBREGA felicem solutionem huius casus ad opus evangelizationis totius illius populi magni momenti futuram esse⁷⁶.

III. CONCLUSIO

Inter multas quaestiones, dubitationes et petitiones quae ad Papam et ad Superiores Generales Ordi-

⁷⁴ MB I 292, C 37 § 6.

⁷⁵ MB I 524-525, C 75 §§ 4-5.

⁷⁶ Post unum annum, in litteris ad S. IGNATIUM (1.9.1554) BEATUS ANCHIETA affirmat inutiles fuisse connatus ut IOANNES RAMALHO et eius filii in praxim vitae christianae adducerentur; e contra, semen destruere conabantur Verbi Dei quod missionarii spargebant — MB II 114-116, C 22 § 5.

num missae sunt et ad conversionem infidelium illarum regionum noviter inventarum pertinebant — et quae ad elaboranda doctrina saec. XVI de infidelium matrimoniis conduxerunt — quae ad Brasiliam in decem prioribus evangelizationis annis se referunt:

— «sigillum» canonistae Patris EMMANUELIS DA NÓBREGA ostendunt;

— opinionem referunt secundum quam Indorum matrimonia vera, seu naturaliter valida, non sunt;

— suggerunt, saltem ut provisoria solutio, ut ampla dispensatio seu indultum generale totius iuris matrimonialis positivi daretur.

P. EMMANUEL DA NÓBREGA fuit «homo actionis», ut dicitur, qualitatibus magnis simul cum defectibus naturae humanae insitis: non impossibile se ostendit erga modum agendi primi Brasiliae Episcopi, a quo dissentiebat — ut conflictus vitaret in partem meridionalem Brasiliae se contulit, ubi urbi S. Pauli initium dedit; totis viribus muneri evangelizandi quod sibi commissum erat se dedicavit — *Haec terra nostrum inceptum est*⁷⁷; valde competenter munus fundatoris missionis exercuit et fraterne semper erga suos socios sese exhibuit, eos in re canonica sua peritia iuvando⁷⁸; non dubitavit amplas facultates rogare, quamvis pro tempore facultates Nuntii haberet, quae tamen non satis erant quae quaestiones sibi positas solvere possent⁷⁹.

⁷⁷ «Esta terra é a nossa empresa» — MB I 122, C 7 § 7.

⁷⁸ «As duvidas que recorrião das confissões as propunhão a nosso Padre [NÓBREGA] à hora do repouso que depois de comer tínhamos pera que desse a resolução dellas» — MB II 348, C 52 § 4.

⁷⁹ LEITE, «Breve Itinerário» (supra nt. 58).

In agro dominico in primis, sed etiam in consiliis a gubernantibus attente auditis insignis, NÓBREGA fundamenta magnae nationis quae hodie Brasilia est opportune stabilivit⁸⁰.

SAMUEL RODRIGUES

INTRODUCTIO

⁸⁰ Iudicium notandum est alicuius noti historiographi angli: «There is no individual to whose talents Brazil is so greatly and permanently indebted», ROBERT SOUTHEY, «*History of Brazil I*» (London 1810) 310.